



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Theses Theologicae Quibus Respondeatur Ad
Justificationem Illustrissimi ac Reverendissimi Domini
Patris Guilielmi Herinx Ipprensum Episcopi**

Huygens, Gommarus

Lovanii, [1686?]

urn:nbn:de:bvb:12-bsb10951922-5

Th. 2170.

2. IV
3.





UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

THESES
THEOLOGICÆ
QUIBUS RESPONDETUR
AD
JUSTIFICATIONEM

Illusterrimi ac Reverendissimi Domini Patris GUILIELMI

HERINX Irenensem Episcopi

JUNCTAM THESIBUS PRÆSIDE

F. GASPARO VAN PAESSCHEN

Ord. FF. Minorum Recollectorum Theol. Lectore

LOVANII 8. Octobris 1685. defensis.

QUAS PRÆSIDE

EXIMIO VIRO DOMINO AC MAGISTRO NOSTRO

GUMMARO HUYGENS

LYRANO,

DEFENDET

CAROLUS ROBERT MONTENSIS

In Collegio ADRIANI VI. Pontificis 3 Januarii 1686.



LOVANII,

Typis GUILIELMI STRYCKWANT sub aurea Lampade;

PRÆFATIO AD LECTOREM.



Cæsionem hujus Theseos dedit scriptum nuperum cui præfixus erat hic titulus : Justificatio Illustrissimi ac Reverendissimi Patris GUILIELMI HERINX Irenensem Episcopi : In quo me culpari video, quod binis meis Thesibus, alterâ 7. Decemb. 1684. alterâ 15. Septemb. subsequentis anni defensis, peccaverim contra CHARITATEM, contra JUSTITIAM & contra VERITATEM ; dum in iis refutare volui dogmata quadam GUILIELMI HERINX S. T. Lectoris ; postea Irenensem Episcopi : ego verò ex adverso omnino contendo, quod in nullam illarum virtutum deliquerim ; idque me ostensurum confido tribus harum Thesum conclusionibus, quarum primâ probabo me non exceſſe VERITATEM, & hinc per secundam conclusionem conficiam quod etiam JUSTITIAM non laſerim, tertiatâ conclusione per legitimam consequentiam ex duabus anterioribus evincam, quod etiam adversus CHARITATEM nil peccaverim. Quarta denique conclusione conabor ostendere sine fundamento insinuari quo doctrinam Patris HERINX ex odio oppugnauerim.

CONCLUSIO PRIMA.

Nullum dogma adscripti GUILIELMO HERINX quod ipse non expresserit iisdem terminis, sive in materia surreptionis, sive in praxi opinionis, quam probabilem vocant : nullam conclusionem quoque ex dogmatibus ejus deduxi, quæ verè in illis non contineatur : perperam proinde dicitur, quod refutando dogmata GUILIELMI HERINX, peccaverim contra VERITATEM.

§ I.

Oſtenditur quid circa surreptiones in dogmatibus GUILIELMI HERINX à nobis per anteriores Theses in prefatione expressas impugnatum sit, nihilque in nostra impugnatione dictum esse, veluti à Patre HERINX assertum, quod in terminis, ut aiunt, ipse non afferuerit.

IN Thesibus 7. Decemb. 1684. defensis, circa sententiam GUILIELMI HERINX de surreptione, tria à nobis dicta sunt, primum, quod circa istud quod TAMBURINUS docuerat his verbis : *in gravi necessitate etiam aliena posse surripī*, pronuntiaverit, ipse nimis HERINX, non improbabiliter illud afferi quando dives ille obligatur eleemosynam prastare & non valit.

Secundum ; si rem intueamur non multum interesse an HERINX dixerit non improbabiliter (nam in illo verbo eoquè solo, litteris distinctivis espresso, vim ponunt Authores famosi specimenis editi in defensionem Propositionum 65. ab Innocentio XI. condemnatarum) an vero dixerit probabiliter.

Tertium erat, quod et si HERINX non dixerit eam sententiam esse communem, prout THOMAS TAMBURINUS ; si rem tamen intueamur nihil hic iterum haberi ob quod HERINX merito dicatur *circumspectius* fuisse locutus quam Tamburinus.

Porrò cum sola illa tria in hac materia de doctrina P. HERINX afferuerim ; necessum

A 3

est,



est, ut si contra veritatem, quemadmodum afferitur in scripto adversus quod nunc ago, peccaverim, aliquod illorum trium sit falsum.

Sed primum eorum non potest dici falsum, nisi fortassis negetur HERINX revera edidisse haec verba, non improbabiliter istud (quod mox retulimus ex Tamburino) afferi quando dives iste obligatur eleemosynam prestare & non vult: sed haec ab HERINX conscripta esse, affirmant Authores famosi speciminis, id est, ipsius GUILIELMI HERINX praecones, neque id negat Author Iustificationis dicti HERINX. Vide etiam ipsum in HERINX disp. 12. q. 3. de effectu charitatis num. 61.

Secundi nostri asserti veritatem, in dictis nostris Thesibus probavimus his verbis: non multum interest, an HERINX dixerit, non IMPROBABILITER an vero dixerit PROBABILITER; etenim propositio non improbabilis tanti valer quanti propositio probabilis, sicut homo non indoctus idem est quod homo doctus, ita ratiocinat sumus in istis Thesibus: neque videtur discursus displicuisse Authori Iustificationis, saltem nihil adversus illum reponit.

Tertium assertum nostrum, in hunc modum confirmavimus: notandum perinde esse an opinionem tuam voces simpliciter probabilem an communem: modo tu sis de numero illorum, quibus sua circa res agendas opinio, si probabilis fit, tuta semper est ac secura, siquidem hoc pacto opinionem tuam tibi simpliciter probabilem, non minus tutam, minusve securam censere debes, quam si dices quod tua opinio sit sententia communis ac probabilissima. Porro quod GUILIELMUS HERINX senserit, quod cuique sua opinio probabilis fit tuta ac secura, Patet ex his ejus verbis: Regulariter loquendo, ex opinione seu assensio probabili recte formatur dictamen conscientia: quod licet fiat vel omittatur actio, etiam sequendo partem minus tutam. Et addit: Est communissima Doctorum sententia. Ita HERINX p. 2. disp. 4. q. 3. n. 22. sive proinde assertionem de qua agimus Author ille dixerit non improbabilem (id est probabilem) sive cum Tamburino & Authoribus Speciminis, dixerit eam esse sententiam communem, quod ad rem attinet & praxim, idem dixit. Hec in istis nostris Thesibus. In hoc discursu nostro nihil rursus improbari videtur Authori Iustificationis; saltem nihil contra illam deductionem in Iustificatione allegat.

Falso proinde dicit Iustificationis Author, quod in hac materia refutando doctrinam P. HERINX contra veritatem peccaverim, quandoquidem tria solum afferuerim quorum nullum ipse negat.

Affingit, inquit idem, de me in Iustificatione §. 4. Patri HERINX in Thesibus de 7. Decembris 1684. Conclus. i. §. 2. quod docuerit Propositionem 36. ab Innocentio XI. proscriptam, quae sic habet: Permissum est furari non solum in extrema necessitate sed etiam in gravi: ad que respondeo istam Propositionem me nusquam tribuisse P. HERINX, cum solum afferuerim tria iam saepius dicta, quorum nullo vel in speciem dixi, Patrem HERINX docere quod permisum fit furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi: illud proinde, sicut nusquam afferui, ita quoque numquam probare intendi; sed solummodo si rem intueamur non multum interesse an HERINX dixerit non improbabiliter an vero dixerit probabiliter. Dixi ergo non multum interesse an HERINX usus fuerit illis vocibus non improbabiliter an vero hac probabiliter nullâ prorsus factâ mentione, parumne an multum intersit inter doctrinam HERINX & inter Propositionem 36. condemnatam.

Pergit nihilominus Author Iustificationis his verbis: Resp. 2. si rem intueamur etiam multum interesse inter propositionem proscriptam, & Propositionem Illustrissimi nostri deinde addit: quis nescit multum differre Propositionem universalem & particularem? Et prosequitur: cur igitur sequitur: Licet aliena surripere in casu particulari, seu quando dives ipse obligatur eleemosynam prestare & non vult, ergo permisum est universaliter non tantum surripere sed etiam furari, non solum in extrema necessitate sed etiam in gravi. Hac ille: quibus ego respondeo me quoque istam consequiam nec probare, nec probasse, aut fecisse unquam.

Iterum

Iterum ergo dico quod ex tribus illis, quæ sola me circa hanc rem afferuisse dixi, clare sequatur me neque Patri HERINX, neque ulli hominum tribuisse hanc Propositionem damnatam: *Permissum est furari non solum in extrema necessitate sed etiam in gravi*: neque etiam unquam fecisse hanc consequentiam: *Licet aliena surripere quando dives ipse obligatur eleemosynam præstare & non vult*, ergo: *permisum est furari non solum in extrema necessitate sed etiam in gravi*.

Quo ergo colore, inquires, potuit Justificationis Author putare, quod ego Patri HERINX adscriperim Propositionem 36. inter condemnatas? fateor me difficulter posse credere, quod istud revera putaverit; si tamen verè ita de me senserit, provenit inde, quod Authores famosi speciminis primo dixerint: quod Tamburinus tenuerit doctrinam affirmem Propositioni condemnatae, deinde quod præ Tamburino *circumspectus* locutus fuerit HERINX; eo quod hic loco *probabiliter* dixerit: *non improbabiliter*, quasi censerent illos convenire in reliquis: atque ita ego per errorem visus fuerim, judicare Patrem HERINX, cum Tamburino consentire dum differentiam, quam Authores speciminis unicam exprimebant inter doctrinam Tamburini & HERINX; destruxi dicendo: *nonimprobabiliter* idem esse quod *probabiliter*.

Alia, & fortassis præcipua ratio est, quod inter doctrinam Tamburini, occasione cuius ut aiunt Authores famosi speciminis, fabricata est Propositione 36. inter condemnatas, & doctrinam P. HERINX revera non adeò magna, sit differentia; si tamen aliqua, ut proinde visum fuerit, quod dum Patri HERINX tribuimus doctrinam revera suam, ei tribueremus doctrinam Tamburini, ex qua Propositionem 36. fabricatam esse volunt.

Ut clarius hæc percipias, en doctrinam Tamburini: *In gravi necessitate etiam aliena posse surripi, nendum propria occultari, communis jam nunc sententia est*. Ecce etiam doctrinam P. HERINX: *An autem in necessitate valde gravi v. g. famis, nuditatis &c. sit licitum aliena surripere invito Domino, controversum est*. Nec *improbabiliter* afferunt NAVARRUS, LESSIUS, KÖNICK & plurimi alii, eo quod merito videatur *casus iste ob exigentiam rationis & boni communis, in divisione bonorum tacitè exceptus seu non comprehensus: adeoque dives ipse supponatur obligatus esse tali casu eleemosynam præstare*, qui proinde si nolit, videri potest pauper, sibi ipsi providere posse, utpote divite irrationaliter *invito*. disp. 12. q. 3. de effectu charitatis n. 61

§. 2.

Examinatur utrum P. HERINX suā doctrinā de surreptione quemlibet constituat judicem in propria causa, eaque admodum obscurā, & cupiditati habendi summè blandienti.

D Octrina Patri HERINX super qua hæc questio movetur, à nobis exprimitur §. superiori. De hac doctrina in Justificatione P. HERINX §. 4. saltem insinuatur per eam non constitui quemlibet judicem in propria causa. Verba Iustificationis sunt: *Eximius (de me loquitur) faciet priorem, id est, Propositionem 36. inter condemnatas, scandalosam esse vel maxime, quia quemlibet constituit judicem in propria causa eaque admodum obscurā & cupiditati habendi summè blandienti*. Facine hoc Illustrissimus noster? judicet equus Lector. Hactenus justificatio. Dubitasne R. Peter, quin istud faciat Illustrissimus vester HERINX? nunquid enim hæc illius doctrina homines indigentes, etiam viles quoquæ & ad officium judicis ineptissimos, judices constituit in materia, quæ istius generis est, ut nulla magis soleat homines istos, utpote cupiditate habendi præventos, in errorem sibi faventem inducere? Infinitus certè ubique terrarum reperitur hominum numerus, quorum judicio per doctrinam P. HERINX committendum erit, ut ipsi de se ipsis judicent, num aliqua saltem ratione non sint in necessitate valde gravi famis, nuditatis, &c. prout etiam, an alter, à quo surripiendum erit, non sit satis dives, ut supponatur obligatus esse tali casu eleemosynam

mosynam dare : & quale putas R. Pater ab indigentibus istis ac vilibus hominibus in re adeò concupiscentiis suis blandiente , obtinebitur judicium , nisi in ipsorummet favorem ; maximè dum per doctrinam P. H E R I N X persuasi fuerint , tali suo judicio licitum sibi fieri surripere aliena.

Hi ergo omnes reipsā invadant & surripiant aliena , authoritate ut credent , sibi factā per doctrinam vestri P. H E R I N X , tantumque singuli actu surripiant , quantum sibi licitum censem per doctrinam istam , eritne hoc posito , Regnum , Provincia , Civitas aut Pagus , modò illuc aliqui , pauperum judicio , divites reperiantur , à surreptione aperta vel occulta ita immunis , ut non hinc vel illinc , aut potius utrumque damna sustineat ? Deinde , quot illinc dissidia & contentiones , quot rixæ & perturbationes ? Denique quid adhæc illi qui sua auferre coram videbunt aut res suas occulte ablatas esse postea intelligent ? Quid inquam , tūm hos tum illos facturos credimus si ipsis liceat secundum alia vestri P. H E R I N X dogmata , rerum suarum surreptores , modo haec sint notabilis , ut vocant momenti , invadere resistentes , vulnerare , mūlare & occidere ? Nonne eo posito , dissidiis , rixis , perturbationibus & homicidiis omnia mox cernemus impleta ? Nonne vel ex his solis , ut cætera omittamus , potius , quam ex doctrina Methodi , Compendii & Thesum nostrarum , belgium cernemus perturbari ?

§. 3.

Circa sententias de usu Opinionis Probabilis , nihil tribuimus Patri H E R I N X , quod ille revera non afferuerit iis verbis quibus sensa ejus exp̄resimus.

Circa usum opinionis probabilis tria de P. H E R I N X in Thesibus die 7. Decembris 1684. defensis afferui.

Primò eum docere ut sequitur : *Regulariter loquendo ex opinione seu assensu probabili rectè formatur dictamen conscientia , quod licet fiat vel omittatur actio etiam sequendo partem minus tutam , & addit , est communissima Doctorum sententia.*

Secundo eum dicere : *Eo ipso quod quis alicui opinioni assensum præbet , censet probabiliter omnibus spectatis cum ei simpliciter assentiatur.*

Tertio dixi , eum præmissis his : *nolim condemnare eos qui ex opinione preformata procedunt , existimantes sibi licitum esse sequi opinionem alienam etiam minus probabilem. Addidisse sequentia : hi enim eo ipso per reflexum judicium sequuntur practicè propriam opinionem.*

In quibus rursus nihil omnino falsi afferui , cum omnia & singula ad verbum habeat p. 2. disp. 6. quæst. 3. circa numeros 22. & 29.

Ex primo dogmate dixi inferri , quod perinde sit , an scriptor ille opinionem suam vocet simpliciter probabilem , an communem , an probabilissimam , cum ipse sit de numero illorum , quibus sua opinio , modo probabilis sit , tuta semper est ac secura.

Ex secundo ejusdem authoris dogmate , afferuimus esse consecutarium , quod quælibet opinio inter condemnatas ab Alexandro VII. & Innocentio XI. suo respectivè Authori , fuerit tuta & in praxi secura.

Ex tertio denique confici , quod ad securitatem sufficiat opinio aliena , etiam minus probabilis & propriæ contraria.

Quod ad ipsa dogmata attinet , Author Justificationis de nullo istorum afferit aut afferre potest quod P. H E R I N X ea non tenuerit : dicit tamen quædam ad secundum & tertium dogma pertinentia , vel fortassis illa tota , in secunda operum editione esse omissa.

Quod ad consequencias nostras spectat , illam quæ circa primum dogma fecimus , saltem non improbat : quam ex secundò dogmatè consecutus , omnino negat : Tertiam vero nostram consequentiam , dicit esse pessimam imposturam.

Supereft ergo ut binas nostras consequentias ab Authore Justificationis negatas ac improbatas , magis confirmemus : quod ubi in sequentibus §. §. præstiterimus , alio §. ex animabimus omissionem aut mutationem , quæ facta dicitur in secunda editione operum Patris HERINX.

§. 4.

Elucidatur & confirmatur secunda consequentia cuius in anteriori §. facta est mentio.

Secunda inter consequentias superiori §. expressas est hæc : P. HERINX dixit : eo ipso quod alicui opinioni assensum præbet censet probabilem omnibus spectatis , cum ei simpliciter assentiat ergo quælibet opinio inter condemnatas ab Alexando VII. & Innocentio XI. suo respectivè Authori fuit tuta & in praxi secura. Consequentiam admittere debet HERINX cum dicat : Regulariter loquendo ex opinione seu assensu probabile rectè formatur dictamen conscientie ; quod licet fiat vel omittatur actio , etiam sequendo partem minus tutam , & addit , est communissima DD. sententia : admittat ergo HERINX quod in quælibet opinionum comdemnatarum , rectè earum Authores ante condemnationem formaverint dictamen conscientie quod licet fieret vel omitteretur actio ; cum suam opinionem non solum censerent probabilem ; sed etiam probabilem omnibus spectatis .

Contra objicit Author Justificationis : Quod non fuerit idcirco quilibet illarum suis Authoribus tuta & secura , patet ex eo quod non sufficiat alicui opinioni assensum præbere , sed requiratur id fieri cum fundamento , hæc ille ; ad quæ ego : Patrem HERINX non solum dicere , quod quilibet sive opinioni assensum præbeat ; sed insuper addere ; quod suam quilibet censem probabilioram omnibus spectatis : Si probabilem habeat , ergo censet ad minus probabilem ; adeoque secura erit , ac tuta , juxta principia HERINX.

Rectè ergo sequitur : P. HERINX dicit , eo ipso , quod quis alicui opinioni assensum præbet , censet probabilem omnibus spectatis , ergo quælibet opinio inter condemnatas ab Alexando VII. & Innocentio XI. suo respectivè Authori fuerit tuta & in praxi secura : cum tamen illæ opinions sint condemnatae quia ante condemnationem erant scandalosæ & in praxi pernitosæ .

§. 5.

Quæ §. 4. dicta sunt ulterius confirmantur ex iis quæ probabilitatum Patroni velint nolint admittere coguntur circa requisita ad opinionem probabilem .

AD opinionem probabilem non requirunt probabilitatum patroni , ut motivum quoniam sit verè propter (nam alias sola opinio vera posset esse probabilis) sed satis est ipsis , si motivum sit rationabile , ut vocat HERINX , vel , quemadmodum alii loquuntur , ut sit motivum grave , vel sufficiens : intellige satis esse , ut sit tale comparatum ad ipsum opinantem , id est , ut secundum apprehensionem opinantis sit rationabile , grave aut sufficiens ; non enim debet esse tale secundum rei veritatem ; quasi continere deberet rationem , pondus vel sufficientiam reverè probantia veritatem propositionis cui quis assentitur : quod cum admittant omnes probabilitatum patroni , sufficere ipsis debet , ut motivum estimetur esse rationabile , grave , vel sufficiens ad probandum veritatem propositionis , et si verè non propter .

Supereft ut examinemus à quo debeat estimari , quod motivum sit rationabile an scilicet ab ipso opinante , an ab alio : quod non ab alio , clarum est : quia alteri potest illud motivum apparere omnino irrationabile , nullius ponderis & planè insufficiens ; vel ex adverso potest apparere omnino evidens : deinde , quid ad opinandum mili conductus ,

quod

quod motivum non mihi , sed aliis appareat rationalabile : &c. quare indubitate concludendam , quod probabilitatum patronis sufficere debeat si motivum ab ipso met opinante , estimetur rationalabile &c. ut nimurum censetur opinio revera probabilis & in praxi secura.

§. 6.

Doctrina anterioris §. specialiter consonat doctrina Patris H E R I N X .

Post HERINX loco antecitato num. 20. Primum dixerat : Regulariter loquendo ex opinione seu assensu probabili recte formatur dictamen conscientia , quod licet fiat vel omittatur actio , etiam sequendo partem minus tutam. Sententiam hanc generalem explicat. n. 28. his verbis : Requiritur ut opinionem quam quis in in praxi amplectitur faciat suam : & addit : Dum enim haberi nequit veritas seu certitudo , censetur Deus substituisse illius loco opinionem seu estimationem operantis.

Si loco veritatis sentiatur Deus substituisse estimationem operantis , sufficit ergo huic Authori ut motivum opinionis ab ipso operante estimetur esse rationabile , sufficit inquam hoc , ut secundum ipsum opinionem illam veluti probabilem in praxi amplectamus , igitur juxta P. HERINX , qualibet opinio inter condemnatas ab Alexandro VII. & Innoc. XI. ante condemnationem suo Authori licita erat & in praxi secura , cum tamen condemnatae sint quia ante condemnationem erant scandalosae & in praxi perniciose.

Deinde n. 29. dicit idem Author : Nolim tamen illos condemnare , qui ex opinione praeformata procedunt existimantes sibi licitum esse sequi opinionem alienam etiam minus probabilem ! Sensus illorum verborum , nolim tamen illos condemnare illos qui &c. proculdubio hic est , censio non esse condemnandos illos qui &c. et si sequantur opinionem alienam & minus probabilem .

Duas rationes allegat , cur sentiat illos non esse condemnandos : primam quidem his verbis : Hi eo ipso per reflexum iudicium sequuntur practice propriam opinionem , adeoque non tantum alienam . Secundum rationem assignat hanc : Eo ipso quod quis alicui opinioni assensum prebet , censet probabiliorem omnibus spectatis .

Si illi qui existimant sibi licitum esse sequi opinionem alienam etiam minus probabilem , ideo condemnandi non sint , quia hoc ipso quod quis alicui opinioni assensum prebet , censet probabiliorem omnibus spectatis : adeoque non minus probabilem sed probabiliorem sequatur ; omnino consecutarium est , quod ad opinionem probabilem , item ad probabilem sufficiat , ut ipsi opinanti motivum appareat probabile , sive rationabile , item ut illi appareat probabilius sive rationabilius .

Docet ergo HERINX quod hoc ipso , quod quis alicui opinioni assensum prebet , ita censet probabiliorem omnibus spectatis , ut juxta ipsum revera tunc sit sufficienter probabile , imo probabilior : sufficienter inquam , ut ob proxim talis opinionis existimet neminem esse condemnandum ; ergo censet non condemnandos quotquot proprias opiniones fuerint secuti , etiam illas , quae postea ideo fuerunt per Alexandrum VII. & Innocentium XI. condemnatae quia ante condemnationem erant scandalosae & in praxi perniciose .

Mira quidem hec sunt & stupenda , verè tamen ex illius Authoris dogmatibus consecutaria dum ait : quod qui alicui opinioni assensum prebet censat esse probabiliorem . ac propterea , ut jam ostensum , concedere debet esse verè probabilem , adeoque securam ac tutam , saltem , ipsi opinanti : siquidem juxta ipsum regulariter loquendo ex opinione seu assensu probabili recte formatur dictamen conscientia quod licet fiat vel omittatur actio , etiam sequendo partem minus tutam : consonat quod ait n. 21. coincidit , inquit , opinio cum assensu probabili . Cuiuslibet ergo Authoris opinio inhærendo doctrinæ HERINX , ab ipso opinante non solùm censabitur esse probabilis , sed dicenda erit esse probabilis : neque etiam potest HERINX ideo hos illosve judicare non esse condemnandos quia sequuntur opinionem quam ipsi censent probabiliorem , nisi juxta ipsum tunc etiam sit verè probabilior .

Quæ hæc & duabus anterioribus §§. tractata sunt, eo fine allegavimus ut confirmetur consequentia nostra, quæ est secunda inter tres, paragrapho 3. expressas; atque in anterioribus nostris Theſibus jam pridem assertas. Nunc igitur agendum de tertia consequentia nostra quam eodem §. etiam expressimus.

§. 7.

Elucidatur & confirmatur tertia consequentia, cuius in §. 3. facta est mentio.

Tertia consequentia est hæc, P. HERINX dicit: *Nolim condemnare eos, qui ex opinione praformata procedunt existimantes sibi licitum esse sequi opinionem alienam etiam minus probabilem: cum eo ipso per reflexum judicium sequuntur practicè propriam opinionem.* Hinc in Theſibus nostris 7. Decemb. Anno 1684. defensis, inferebamus: "ergo ad securitatem sufficit, opinio aliena, etiam minus probabilis & propriæ contraria: addebamus, quorundam proinde contra propriam opinionem, securi fuerint Propositiones ab Alexandro VII. & Innocentio XI. condemnatas, aut alias quorumcumque Casuistarum postea condemnatas, hoc ipso quo existimarunt istud sibi licere, juxta doctrinam P. HERINX, rectè egerunt illas opiniones deducendo ad primum, In hunc modum ratiocinati sumus in dictis Theſibus: sed consequentiam nostram Author Justificationis vocat *pessimam imposturam*: nos ex adverso dicimus esse optimam consequentiam, eamque nunc probamus in hunc modum: paragrapho anteriori ostendimus quod secundum P. HERINX ipsi opinanti ad securitatem sufficiat sui-ipsius opinio; sufficit ergo tibi etiam opinio aliena, modo existimes tibi licitum esse sequi opinionem alienam: nam eo ipso juxta P. HERINX per reflexum judicium sequeris practicè propriam opinionem: hocce enim argumento probavit, etiam illos qui opinionem alienam sequuntur non esse condemnandos: verba ejus iterum, reperio: *Nolim tamen illos, inquit, condemnare (id est , sentio non esse condemnandos) qui ex-opinione praformata procedunt existimantes sibi licitum esse sequi opinionem alienam :* probat inquam illos non esse condemnandos, quia eo ipso per reflexum judicium sequuntur practicè propriam opinionem. Propriam ergo opinionem securi fuerint omnes illi qui existimarunt sibi licitum esse ad primum deducere, quascumque opiniones alienas postea ab Alexandro VII. & Innocentio XI. condemnatas. Adeoque secundum principia P. HERINX hic posita, condemnandi non sunt: imò, secundum deductionem anteriori §. factam, securi sunt.

§. 8.

Author Iustificationis dicit quod in secunda editione operum P. Herinx, quedam omissa sint circa doctrinam de usu opinionis probabilis, à nobis impugnatam.
Ostenditur qualis sit ista mutatio.

Valedic laudabile, imò juxta communem Theologorum sententiam rigidè præceptum est retractare dogmata ante hac à nobis tradita, dum postea undecumque intelligimus nos in iis ad aliorum perniciem, præcipue spiritualem, errasse. Quare, non vituperio sed laude potius digna est, errorum retractatio. Hæc eo fine præmitto iis quæ hoc §. dicturus sum de mutatione facta in secunda editione operum P. HERINX, ne, dum contra hanc mutationem aliqua dicturus sum, videar fortassis culpare, quod quis ante se dicta retractet: neque enim istud circa hanc displicet: sed quod ea talis sit, ut mutationis terminus à quo & terminus ad quem (philosophicè loquor) quod ad rem attinet, pa- rum distare videantur.

Tria dogmata erant, quæ in prima editione impugnavimus: primum, quod loco superius citato n. 22. dicatur Regulariter loquendo ex opinione seu assensu probabili, rectè formatur

B

dictamen

dictamen conscientie, quod licet fiat vel omittatur actio. Secundum, quod istud dogma etiam extendatur ad minus probabilem. Tertium, quod convincatur ex doctrina n. 29. expressa etiam extendi ad opinionem alienam. Hæc in prima operum editione. Superest jam, ut examinemus, quid in secunda habeatur, quæ ut credi à nobis volunt, facta est Antwerpia typis Jacobi Woens sub signo Portæ vineæ. Anno 1680.

Porrò in hac editione etiamnum reperiri primum & secundum dogma de usu opinonis probabilis, patet ex his verbis disp. 4. q. 3. n. 31. *Sine distinctione afferendum simpliciter est cum communissima Theologorum sententia: regulariter loquendo ex opinione sive assensu quem constiterit esse verè probabilem, rectè formari dictamen conscientia etiam sequendo partem minus tutam. Quod intelligat etiam sequendo minus probabilem, dubitari non potest: dicit enim istud afferendum sine distinctione, nimurum inter opinionem minus probabilem & probabiliorē: hinc n. 89. apertis verbis doctrinam suam extendit, etiam ad opinionem minus probabilem.*

Quod ad tertium dogma attinet, clarissimum est quod n. 92. mutata istius editionis, Author, totus sit in eo, ut probet quod dogma de secura praxi opinonis probabilis etiam rectè extendatur ad opinionem, non tantum minus probabilem & minus tutam, sed insuper ad alienam proprie opinioni contrariam. Adhac probationibus satis fuse deductis, tandem in fine subjugit: *Accedit quod cum licitum sit sequi sententiam probabilem, consequenter videatur, licitum quoque esse sequi alienam minus probabilem, cum hoc ipsum reflexè teneat sententia probabilior & communis.*

Notatu dignum, quod ad aliquam secundæ editionis excusationem, circa dogma tertium, facere videantur hæc duo: primum, quod mox allegatis, id est, dictis ad n. 92. in fine addat hæc verba: *ITA ARGUUNT RECENTIORES PASSIM.* Alterum, quod n. 93. legantur hæc: *Nihilominus praxis operandi juxta opinionem alienam minus tutam minusque probabilem & pro tali ab ipso operante adhuc estimatam, non ita satisfacit, quin potius suasor sectantibus præsertim pietatem, ut etiam opinione propria libertate favente, tamen sequamur in operando tutiora, præsertim dum simul censentur communiter ab aliis probabiliora, neque sine gravi seu rationabili causa laxemus habenas ad minus tuta minusque probabilitia.*

Observet hic lector primò illud, *ITA ARGUUNT RECENTIORES PASSIM*, in fine tantum esse additum (quando videlicet omnia quæ reperi potuerunt fuerant allegata) ad declinandam invidiam in alios. 2. *POTIUS SUASOR SIM:* nimurum innuit, eum qui opinionem minus probabilem & minus tutam, et si solummodo alienam, velut regulam morum in praxi sequatur, non contra præceptum sed solummodo contra consilium agere. 3. *SECTANTIEBUS PRÆSERTIM PIETATEM:* quasi timeat, ne istud consilium sequerentur nimis multi. 4. *NEQUE SINE GRAVI SEU RATIONABILI CAUSA LAXEMUS HABENAS AD MINUS TUTA, MINUSQUE PROBABILIA.* Nam ut ait n. 89. Non censetur Deus restrinxisse ad tutius dum adebet onus considerabile alias eventurum, v. g. jejunii, restitutionis, carentia legati, abstinentia ab utili contractu, &c.

Ecce vobis iterum istius Patris non præceptum, sed consilium, suasor sim, inquit, ne verò & hoc nimium sapiat rigorem, non omnibus indifferenter consulit, sed sectantibus præsertim pietatem: neque id semper, verùm præsertim dum simul censentur communiter ab aliis probabiliora. Quanta in limitando hocce consilio circumspectio! Neque, subjicit, sine gravi seu rationabili causa laxemus habenas ad minus tuta minusque probabilitia. Ubi enim gravis seu rationabilis causa, ut vocat, locum habet non ausit nequidem post tot limitationes, consilium hic expressum (sequendi in operando tutiora) temerè projicere. Non censetur Deus, ut ait, restrinxisse ad tutius, dum adebet onus considerabile alias proventurum: v. g. jejunii, nota bene, restitutionis, carentia legati, abstinentia ab utili contractu &c. quæ onera considerabilia, dum plaustro probabilitatis queunt avehi; non dissuadet personis, etiam pietatem sectantibus, laxari habenas ad minus tuta minusque probabilitia.

H.

His expensis quando putas istius Patris consilio erit locus? Resp. dum aberit periculum, ne onus considerabile tibi proveniat, si non sequaris, id est, nunquam. Quia semper erit periculum istiusmodi oneris considerabilis quale est jejunii, Restitutionis &c.

CONCLUSIO SECUNDA.

Præmissâ doctrinâ generali de revelandis quandoque criminibus & defectibus occultis, etiam per se admodum utili, à fortiori ut aiunt, inde tandem conciscitur clarissimè, quod contra justitiam nihil peccaverim oppugnando non mores sed dogmata quædam tradita à P. HERINX postea Irenensem Episcopo.

§. I.

Nomen, bonum scilicet, sive fama, tripliciter sumitur.

EX Conclusione anteriori patet, quod Illustrissimi Viri dogmata oppugnando aduersus justitiam non peccaverim, falsum aliquod viro isti imponendo; quare superest, ut ostendam, quod etiam non peccaverim contra justitiam quasi verana accusationem, injustè evulgaverim.

His præmissis, dico hanc dictiōnē nomen, bonum scilicet, sive famam, obtinere tres acceptiones palpabiliter distinctas: quarum prima est, juxta quam nomen sive fama accipitur pro re à qua bonus quispiam denominatur: id est, pro ipsa morum probitate, sive justitia; quo modo, si nomen accipias, tanti illud faciendum est, quanti justitia ipsa, adeoque pluris, quam thesauri multi. Consonat hæc famæ sive nominis interpretatio sexcentis Sacrae Scripturæ sententiis, in quibus nomen pro re accipitur: ut dum in Evangelio dicitur. Matth. 28. *Docete omnes gentes baptizantes eos in NOME Patris & Fili & Spiritus Sancti.* Item act. 4. *Nec aliud NOMEN est sub celo datum hominibus &c.* & Philip. 2. *Vt in NOMINE IESU omne genu flectatur.* Mirum quoties in solis psalmis nomen, potissimum ipsius Dei, sumatur pro re sive pro Deo ipso.

Secundo, nomen, bonum scilicet, sive fama, accipitur pro aliorum vera estimatione de nostra probitate: hoc modo, si famam sumas, viris probis merito cordi est, non propter se; sed ob salutem proximi; quamvis enim Deo probati sint per ipsam internam justitiam, prout sibi ipsis per conscientię propria testimoniū; proximis tamen prodeſſe vix possunt, nisi apud illos obtineant nomen bonum. Unde S. Ivo Carnotensis epist. 240. Godefrido scribit: *Cum omnis casta Religionis Professor visceribus Charitatis abundare debeat, ut tam saluti proximorum, quam sue providere studeat, necesse est ut hæc duo principaliter appetat, puram conscientiam & bonam famam; conscientiam propter se, FAMAM PROPTER PROXIMUM.* *Quisquis*, inquit August. de bono viduit. cap. 22. à criminibus flagitorum atque factorum vitam suam custodit, sibi beneficit, quisquis autem etiam famam, & in alios misericors est. *Nobis enim necessaria est vita nostra, ALIIS FAMA NOSTRA.*

Tertia denique acceptio boni nominis, sive famæ, est quā illa sumitur pro hominum estimatione falso opinantium nos esse probos: ut si homicida, mansuetus, scortator, castus, fur, justus; & sceleratus quisque, probus passim audiat.

De fama hoc modo sumpta, rursus querendum est, quanti illam facere debeamus; pro quo prænotandum, quod ait S. Thomas 22.q.131.art.1. in c. *Tripliſter*, inquit, *affectionem honoris coningit esse inordinatum; uno modo per hoc quod aliquis appetit testimonium de excellentia quam non habet, quod est appetere honorem supra suam proportionem.... ambitio autem importat inordinatum appetitum honoris.* Et q. 132. art. 1. in c. *Potest*, inquit, *gloria dici vana tripliſter*.

B 2

161.

ter. Vno modo ex parte rei de qua quis gloriam querit ; puta , cum quis querit gloriam de eo quod non est . Ex quibus consectorum est , quod ambitionis & vanæ gloriae sit , querere sibi aestimationem sive famam , quasi esset vir probus & verae doctrinæ assertor vel defensio ; cum sit improbus & pro veritate falsitatem tradat. Hinc ulterius conspicuum est , quæ parvi facienda sit fama hoc modo accepta , id est , falsi nominis.

Ex his non difficulter intelliges , in quo deficiat hic discursus quorumdam Casuistarum : Honor (idem est de fama) debet nobis esse charior quam vita : sed pro salute corporis licet hominem occidere : ergo etiam pro honore tuendo. Vel si discurratur in hunc modum : Fama debet nobis esse charior , quæ pecunia : sed pro pecuniis , quando est summa notabilis , licet hominem occidere : ergo etiam pro fama tuenda. De falsitate minoris utriusque argumenti , egimus in Thesibus nostris de Homicidio ; consequentiam hic examinare non intendimus : sed solum notare quod in majori præmissa , ea quæ competit honori & famæ acceptis primo modo ex tribus jam assignatis , id est , pro ipsa justitia sive probitate ; tribuantur honori & famæ sumptis pro hominum aestimatione , etiam falsitate nixæ , & pro ipsis objectis ambitionis ac vanæ gloriae. Nec valet hic discursus : Fama , quæ etiam in falsitate fundatur , plus valet quæ pecunia multæ , item quæ argentum & aurum , sed pro illis tuendis licet hominem occidere , ergo etiam pro tuenda illa fama : Nam ut iterum prætercamus minorem & consequentiam , majorem rursus dicimus nullo modo posse subsistere.

Nec refert , quod Scriptura Sacra Prov. 22. dicat. Melius est nomen bonum quæ divitiae multæ : super argentum enim & aurum , gratia bona : Pro loci enim hujus intellectu tria notanda sunt ; nimis prioris membra apud Hæbreos lectio , quæ hec est : Eligibile est nomen à divitiis multis : deinde secundi membra constructio , quæ est : Gratia , id est , gratiositas , est bona super argentum & aurum : tertio , notanda interpretatio , potissimum vocis nomen , quod debet accipi pro ipsa justitia sive probitate ; vel saltem pro fama à virtute & veritate ortum suum habente , (quæ postrema interpretatio parum differt ab illa quæ nomen accipitur pro re) non autem pro honore & fama falsitate nixis ac ambitionis & vanæ gloriae objectis. Est autem falsa gloria , ait Augustinus tract. 100. in Joan. quando laudantes errore falluntur , sive in rebus , sive in hominibus , sive in utrisque. Nam in rebus falluntur , quando putant id bonum esse , quod malum est : in hominibus autem , quando putant eum bonum esse , qui malus est. In utrisque autem , quando id quod est vitium , virtus putatur ; & ipse , qui propter hoc laudatur non habet quod putatur : sive sit bonus , sive sit malus.

Hinc patet , quanta cum corruptione Theologiae Moralis , & morum pernicie , tres jam explicatae nominis , boni scilicet , sive famæ , explicationes , veluti unum & idem intelligentur ac confundantur : ut si , quæ de bono nomine juxta primam acceptiōē rectè affirmantur , tribuantur bono nomini sive famæ acceptis pro hominum aestimatione : si quidem pro nomine bono , sumpto pro ipsa probitate sive justitia , jubemur certare usque ad mortem . Eccles. 4. de fama autem sumpta pro hominum aestimatione loquitur Apostolus , dum dicit , Mihi autem pro minimo est , ut à vobis judicer ante ab humano die . 1. ad Corint. 4.

Perperam quoque , quæ ratione secundæ acceptiōē boni nominis & famæ affirmantur aut negantur , intelliguntur de nomine & fama acceptis tertio modo : famam namque secundo modo acceptam , appetere debemus propter proximum ; famam vero tertio modo acceptam pro objecto ambitionis & vanæ gloriae , contemnere debemus , etiam sè propter proximum ; dum hic mala nostra , bona putat , & ideo imitatur : item variis aliis ex causis , de quibus §. subsequenti & conclusione tertia harum Thesum , ubi hoc singulariter ostendetur de fama , quam quis obtinet apud illos , qui doctrinam moralem falso ab illo traditam , veram putant . Famam secundo modo acceptam , non licet aliqui auferre

ferre ; quia non potest id fieri sine mendacio , nec fieri solet sine laſione iustitiae , ſecundum fama accepta tertio modo , quam , etiā non ſemper , quandoque tamen auferre poſſuimus &c debemus.

§. 2.

Bonum nomen ſive fama tertio modo , ut habet §. superior , accepta , malè preponitur iuſtitia ipsius infamandi , aut proximi ejus , peſimè verò ſaluti ſpirituali integra alicujus communitatis.

Mira hic rurſus reperitur multorum halucinatio ; dum famam etiā falſitate nixam , non verentur ſuo agendi modo , ipsius infamandi , aut proximi ejus ſpirituali ſaluti preeſte : & quod horrendum nimis , etiam communitatis cuiuspiam ſalutem , fame iſti poſtponere. Primum namq; horum convincitur fieri ab illis , qui homines in ſuis ſceleribus occultis malunt relinquerē , quām ea maniſtare illis , à quibus emendari poſſunt. Quod ſecondo loco expreſſimus , faciunt , qui occulta cuiuspiam nequitiam detrectant revelare iis , qui aliter non poſſunt ſeipſos , ſuos filios , vel alios quācumque ratione , etiam generali titulo proximi , ſibi coniunctos , ſpiritualis infectionis periculo ſubducere. Tertium de niq; audent , qui crima occulta , quorūdam ad Ecclesiæ vel Reipublicæ regimen tendentium detegere timent iis , à quibus ob criminum ignorantiam ſunt promovendi ; timent inquam illa detergere , etiā in ejusmodi improborum hominum ſecutura promotione ingentem animarum ſtragem preevideant.

Que omnia charitatē lverſantur , cum hæc , quod neminem latet , preecipiat ſuam , proximi & integræ communitatis æternam ſalutem , plus diligere , quām famam illam falſam.

In his omnibus lepono caſus , quibus crima cuipiam , munus confeſſarii exercenti , per Sacramentalem ipsiusmet criminosi confeſſionem , innoctuerunt.

Porrò doctrinæ jam tradite varia hominum genera adverſari ſolent ; ac imprimis ipsi ſcelerati , veriti nimirum , ne ſua quoque occulta haec tenus ſcelera , hoc pacto revelentur. His accedunt alii , quibus temporalia , magis quām æterna ; & terrena preeceleſtibus cordi ſunt. Preeterea , qui parvo ſunt ingenio , ut vastam illam animarum periuiciem , quæ ex doctrina contraria ſequitur , non advertant. Homines item ſcrupulofí ſolent circa doctrinam hic traditam , eſſe timidiores ; maximè dum audiunt occulorum criminum revelationem , terminis nimium indeſinitis à quibusdam Theologis graviter culpari , & ex adverſo animarum ſcandala , ab iisdem vix ponderari.

Neque tamen intendimus , per ea quæ hic dicta ſunt , excuſare illos , qui occulta proximi crima , cum ejus infamia revelant , ubi nec ipsius infamandi , nec alterius bonum ſive ſpirituale ſive corporale , revelari poſtulat : neque etiam intendimus excuſare ſi bonum , potiſſimum ſpirituale , poſtulet iſta crima non revelari.

§. 3.

Doctrina ſuperiori §. tradita probatur ex Sacra Scriptura.

Subſequentes Sacrae Scripturæ ſententiae : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tua , & in tota anima tua & in tota mente tua. Item. Qui amat Patrem aut Matrem plus quām me non eſt me dignus : deinde : Qui non renuntiat omnibus que poſſidet non poſteſt meus eſſe diſcipulus. Denique : Si manus tua vel pes tuus ſcandalizat te , abſcide eum & proice ab te : Si oculus &c. Hę inquam Scripturæ Sacrae ſententiae , tantā evidentiā inſerunt , quod obſervantiam mandatorum Dei nulli creature poſtponere liſeat , ut Theologorum nullus , ne laxifimus quidem , iſtud in dubium revocare audeat : hinc verò conficitur ulterius , neminem fore

fore rationabiliter invitum, si crimen suum occultum detegatur eo modo, qui necessarius est, ut ipse criminosis à peccato commisso eximatur, vel ut ipse à relapsu præservetur.

Neque erit rationabiliter invitum, quando bonum spirituale proximi exigit ut occultum scelus reveletur: nam nostrum quilibet, adeoque & criminosis ille, proximum suum sicut seipsum diligere jubetur. Facilius, quod de proximo dicimus tibi persuadebis, si expenderis, quod hanc ratione malum aliquod majus, etiam à criminoso avertatur, quam sit illa qualiscumque infamatio, haec enim minus mala est ipsi, quam quod ipse sinatur occulto crimine scandalizare proximum: *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, inquit Christus, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus & demergatur in profundum maris.* Si illud ei expediat potius, quam quod scandalizet unum, multò magis istud ei expedit, quam ut scandalizet communitatē aliquam: illicitum proinde est, & Scripturæ S. contrarium, famam hominis reverā criminosi, adeoque falsitatem nixam, suo agendi modo præferre saluti ipsius infamandi, item saluti proximi, & multò magis Scripturæ adversatur, eam præferre saluti alicuias communitatēs; Illicitum ergo etiam erit criminosis, & Scripturæ S. contrarium, suis oblocutionibus huic doctrinæ de revelandis criminibus occultis contradicere, ne sua quoque crimina in ipsorum, proximi, aut Ecclesiæ bonum, à viris zelosis aliando revelentur.

§. 4.

Doctrina illa conformis est praxi Ecclesiae.

IN rem nostram notatu digna sunt, quæ habet Baronius tom. 224. num. 6. &c 7. ubi refert quomodo Alexander Imperator in Præsidium creationem transferre voluerit, quæ eo tempore præviâ multâ inquisitione morum, circa illos qui ad regimen animarum assuebantur, in Ecclesia fieri solebant. *Origenes contra Cels. lib. 8.* „ in fine, qui his, inquit Baronius, vivebat temporibus, docet magnamque tradit ad hiberi solitam diligentiam, ut, qui primi inter Christianos essent, ad regimen animarum adsciscerentur. Diacono item proclamante in Ecclesia, patuisse omnibus aditum „ OBJICIENDI ORDINANDO, SI QUOD PATRASSET ALIQUANDO; id quoque & antiquiores „ Ecclesiæ rituales libri demonstrant. Cæterū non de Episcopis tantum, vel Sacris Mi- „ nistris ordinandis exactè fieri consueverat ejusmodi MORUM INQUISITIO, sed de omnibus „ propemodùm Christianis, ut quisque se gereret: ut, si quid egisset suâ professione in- „ dignum, à fidelium cœtu abiceretur.

Præterea, Baronius ex S. Cypriano, epist. 68. ad hisp. adfert sequentia: „ Vidimus de „ Divina autoritate descendere, ut Sacerdos plebe præsente sub omnium oculis deligatur, „ & dignus atque idoneus publico judicio ac testimonio comprobetur: sicut in numeris „ Dominus Moysi præcepit, dicens: *Apprehende Aaron Fratrem tuum &c....coram omni Syna-* goga jubet Dens constitui Sacerdotem: id est, instruit, & ostendit ordinationes Sacerdoriales „ non nisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere: ut plebe præsente vel DETE- „ GANTUR MALORUM CRIMINA, vel bonorum merita prædicentur. Hac Baronius.

Idem ille spiritus, qui in bonum Ecclesiæ olim revelare præcepit crima eorum, qui propter illa Sacris Ecclesiæ ordinationibus indigni videbantur, etiam hodiè relucet in iis, quæ habentur in nostro Pontificali, sub titulo *de ordinatione Presbyteri*: ubi Episcopus ordinans ad populum præsentem, dicit: „ Non fuit frustra à Patribus insti- „ tutum, ut de electione illorum, qui ad regimen altaris adhibendi sunt, consulatur etiam „ populus, quia de vira & conversatione præsentandi, quod nonnumquam igno- „ ratur à pluribus SCITUR A PAUCIS Horum siquidem Diaconorum in Presbyteros, „ auxiliante Domino ordinandorum, conversatio (quantum mihi videtur) probata, & „ Deo placita existit, & digna (ut arbitror) Ecclesiastici honoris augmento. Sed ne „ unum

, unum fortasse , vel paucos , aut decipiat assensio , vel fallat affectio , sententia est ex-
,, petenda multorum. Itaque , quid de eorum actibus aut moribus noveritis , quid de
,, merito sentiatis, LIBERA VOCE PANDATIS ; & his testimonium Sacerdotii magis pro me-
,, rito , quam affectione aliqua tribuatis. SIQUIS Igitur HABET ALIQUID CONTRA IL-
,, LOS , PRO DEO ET PROPTER DEUM , CUM FIDUCIA EXEAT ET DICAT ; verumtamen
,, memor sit conditionis sue. ,

Conformia etiam sunt Pontificum Decreta , quibus Hæretici & quidam cum dæmone
paetum habentes (id intelligendum cum communiori sententia , inquit Bonacina , de
obligatione denuntiandi , etiam si delictum sit occultum) denuntiari jubentur. Maxime
verò ad rem nostram facit , quod ibidem , testante Bonacinâ , denuntiari debeant Con-
fessarii , qui personas quæcumque illæ sint in Confessione Sacramentali vel occasione illius
ad inhonestâ sollicitaverint ; quodque Confessariis omnibus mandetur , ut suos Pœnitentes ,
quos noverint fuisse sollicitatos , ut supra , moneant de obligatione denuntiandi sollicitantes.

Constitutio Gregorii XV. quâ hæc mandantur , edita est 30. Augusti anno 1622. extat in
Bullario Lugduni edito anno 1655. tom. 3. pag. 432. ubi etiam mentio fit constitutionis
similis , Pii IV. & Pauli II. mandaturque in Gregoriana , ut quod per eam decernitur , in
quibusvis Christiani orbis partibus , firmiter & inviolabiliter observetur. " Stauimus ,
,, inquit Gregorius XV. decernimus , & declaramus , quod omnes , & singuli Sacerdotes
,, tam Sæculares quam quorumvis , etiam quomodolibet exemptorum , ac Sedi Apostolicæ
,, immediate subiectorum , Ordinum , institutionum , Societatum , & Congregationum .
,, Regulares cujuscumque dignitatis & præminentiae , aut quovis privilegio muniti exi-
,, stant , qui personas , quæcumque illæ sint , ad inhonestâ sive inter se sive cum aliis quo-
,, modolibet perpetranda in actu Sacra Mentalis Confessionis , sive antea vel post imme-
,, diatè , seu occasione vel prætextu , Confessione non secuta ; sive extra occasionem
,, Confessionis , in Confessionali aut in loco quocumq; ubi Confessiones Sacramentales au-
,, diuntur seu ad Confessionem audiendam electo , simulantes ibidem Confessiones audire ,
,, sollicitare aut provocare tentaverint , aut cum eis illicitos , & inhenestos sermones ,
,, sive tractatus habuerint , in officio S. Inquisitionis severissimè ut infrâ , puniantur. Et
,, præterea omnes hæreticæ pravitatis Inquisitores , & locorum Ordinarios omnium Re-
,, gnum , Provinciarum , Civitatum , Dominiorum , & locorum universi orbis Chri-
,, stiani in suis quemque Dioecesis & Territoriis per has nostras litteras , etiam pri-
,, tivè quoad omnes alios specialiter , ac perpetuò judices delegamus , ut super his contra
,, prædictos simul , vel separatim in omnibus , prout in causis fidei , juxta Sacrorum Ca-
,, nonum formam , necnon officii Inquisitionis hujusmodi Constitutiones , Privilegia ,
,, Consuetudines & Decreta diligenter inquirant , & procedant : & quos in aliquo ex
,, hujusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint , in eos pro criminum qualitate &
,, circumstantiis , suspensionis ab executione ordinis , privationis beneficiorum , dignita-
,, tum & officiorum quorumcumque ac perpetuae inhabilitatis ad illa , necnon vocis activæ
,, & passivæ , si Regulares fuerint , exilio , damnationis ad triremes , & carceres etiam in
,, perpetuum absque ulla spe gratiæ , aliasque pœnas decernant: eos quoque si pro delicti
,, enormitate graviores pœnas meruerint , debitâ præcedente degradatione , Curiæ sæ-
,, culari puniendos tradant.

, Dantes etiam facultatem venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Gene-
,, talibus Inquisitoribus , ne delictum tam enorme , & Ecclesiæ Dei tam pericolosum , ob-
,, probationum defectum , impunitum , cum difficilis sit probationis , testibus etiam fin-
,, gularibus , concurrentibus præsumptionibus , iudiciis , & aliis administriculis , delictum
,, probatum esse arbitrio suo judicandi & curiæ sæculari , ut præfertur , reum tradendum
,, esse pronuntiandi.

„ Non



Non obstantibus Omnibus quæ Pius IV. prædecessor in suis litteris prædictis voluit
,, non obstat , cæterisque contrariis quibuscumque.

„ Mandantes omnibus Confessariis , ut suos pœnitentes quos noverint fuisse ab aliis
,, sollicitatos , moneant de obligatione denuntiandi sollicitantes , seu ut præfertur tra-
,, ctantes , Inquisitoribus seu locorum Ordinariis prædictis : quod si hoc officium præ-
,, termiserint , vel pœnitentes docuerint , non teneri ad denuntiandum Confessarios folli-
,, citantes seu tractantes ut supra ; iidem locorum Ordinarii & Inquisitores , illos pro
,, modo culpæ punire non negligant.

§. 5.

*Doctrina de revelandis quandoque criminibus & defectibus occultis à nobis tradita , tene-
tur à Theologis recentioribus , etiam ab illis qui nullatenus in hoc
puncto suspecti sunt.*

ET si ea quæ ex Scriptura Sacra & Ecclesiæ praxi allegavimus , abundè probent do-
ctrinam à nobis traditam de revelandis quandoque criminibus & defectibus occultis ;
ut supervacaneum videri possit pro ulteriori probatione accersere authoritatem Theologo-
rum recentiorum : pro iis nihilominus convincendis , apud quos talium doctrina in pretio
est , non inutile fuerit adferre quæ pro hac re tradunt Joannis Wiggers & GUILIELMUS
HERINX : quorum prior de jure & just. tract. 4. cap. 1. dub. 7. habet sequentia : " Dico
secundo : quando damnum impendens est alicujus momen*t*i , sive sit temporale sive
spirituale , quod tibi vel alteri instat ; poteris crimen proximi manifestare , quatenus
hæc manifestatio ad damnum illud sive malum i.e. pediendum est necessaria : ita Soto lib.
5. de justitia. q. 7. art. 1. Navarr. cap. 18. num. 31. Tannerus. Bannes 2.2. q. 73. art. 2.
dub. 1. Salon. Bonatina , & alii quos citat , ut v. g. si noverim Petrum esse furem ; li-
cebit mihi monere eos cum quibus habitat , ut sibi caveant. Ita Wiggers.

Similia tradit GUILIELMUS HERINX in tertia parte Summæ Theol. disp. 7. q. 4.
verba ejus sunt : " Dico tertio : potest quis manifestare crimen occultum proximi , quate-
nus hæc manifestatio est necessaria ad impedendum notabile damnum sive temporale
sive spirituale , inde alioquin innocentia impendens : v. g. novi Petrum esse furem ,
possum monere eos quibus cohabitat , ut sibi caveant. Deinde possum patet facere homi-
cidam , si innocens esset condemnatus , imò ex Charitate crimen manifestare teneor :
ratio est ; quia potest quis se , & innocentem servare indemnum per moderatam de-
fensionem , etiam cum detimento invasoris in vita & membris , ergo multò magis in
fama ; ad quam , suppositâ veritate criminis , jus satis limitatum possidet. Deinde
quisque habet jus proferendi in lucem , quod in sua cognitione abditum tenet , si ex
illius occultatione aliis malum immineat : cum id possit ut sua , cur non ut proximi mala
avertat , quem sicut seipsum diligere debet ? unde ipse Salvator Matt. 16. & Luc. 12. oc-
cultam Pharisæorum & perniciem hypocrisim discipulis manifestavit , quatenus sibi
ab eorumdem fermento caverent.

§. 6.

*Quæ de revelandis criminibus & defectibus occultis tradidimus , specialiter locum
habent circa illos qui Sacris Ordinibus sunt initiandi , vel ad regimen
animatorum assumendi ; aut in hoc male se gerunt.*

" **N**ULLUM puto , Fratres charissimi , ait Gregorius Papa hom. 17. in Luc. 10. ab aliis
majus præjudicium , quam à Sacerdotibus tolerat Deus : quando eos quos ad alio-
rum correctionem posuit , dare de se exempla pravitatis cernit ., Hinc in pontificali
cos

eos qui in Presbyteros, ordinandisunt monet his verbis : " Cum magno timore ad tantum gradum ascendendum est , ac providendum ut celestis sapientia , probi mores , & diu turna justitiae observatio ad id electos commendent . , Etenim cum omnis Sacerdos ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum ; precipua Ecclesiae felicitas & infelicitas in probis & improbis Sacerdotibus consistat , necessum est . Hinc Ecclesia , etiam per revelationem occultorum criminum , & olim & nunc , ab Ordinibus sacris & animarum regimine homines sceleratos ac tanto munere indignos omnino vult impediri . Prudens istud Ecclesiae consilium , etiam ipsis criminosis & inidoneis , est perutile : magnis enim & specialibus gratiis opus est , ut functiones Ecclesiasticae , precipue in animarum regimine , eo quo Deus vult modo , exerceantur . Has gratias Deum misericorditer dare quibus dat , ac proinde justè posse denegare , indubitatum est . Præterea observandum , quod Deus specialiter provocetur & quasi impellatur , ut istas gratias deneget criminosis & inidoneis , qui in ista munia sacrilegè se intrudere presumperunt . Optimè ergo , non minus in proprium illorum , quam in commune Ecclesie bonum , constituta est ; ut criminosi & inidonei ab ordinibus ac animarum regimine , etiam detegendo , dum opus est , illorum crimina occulta , arceantur .

Similes , ut credo , confederationes , non tantum publici boni Ecclesiae , sed insuper privati ipsorum Confessoriorum , Gregorium XV. moverunt , ut denuntiari juberet Confessoriorum nequitiam , qui in Sacramentali Confessione , aut ejus occasione , personas quascumque ad in honesta sollicitaverint : tale namque hominum genus , non minus in suam , quam in aliorum damnationem , in Officio Confessarii perseverat , adeoque , tam ipsorum proprium , quam commune Ecclesie bonum , exigit , ut per denuntiationem , quantum fieri potest , illa utriusque pernicies sistatur . Hactenus locuti sumus de revelandis criminibus occultis : nunc ob materię connexionem , aliquid dicendum de detegenda latente malitia in factis quibusdam publicis , sive apertis .

§. 7.

Si revelanda sint crimina occulta , multò magis detegenda est malitia latens in quorundam criminibus publicis .

Hactenus ostensum est , quod crimina occulta , quandoque , iusta scilicet ex causa , sint revelanda : cum quo consistit , quod sœpè revelanda non sint : fieri namque potest , ut nihil omnino requirat commissum ab aliquo crimen alteri aperiri , quod casu revelare non licet : nec sufficit causa quæcumque , adeoque quantumvis exigua , ut alterius crimen occultum revelare liceat ; sed opus est , ut finis qui per revelationem intenditur , sit revelationi criminis cum suis circumstantiis considerate proportionatus : quare expendendum quæ sit finis intenti bonitas , quale , cuius crimen , & cui reveletur .

Multò minus crimen alicujus occultum detegere licebit , si ex una parte nullius bonum , crimen aperire postulet , & ex altera , bonum ipsius qui commisit , vel proximi ejus aut communilitatis alicujus exigat ut crimen non reveletur . Primum namque facile contingit , si unicus alicujus personæ in impudicitiam lapsus , referatur in circumstantiis , quibus eidem personæ merito timetur , ne dum primus lapsus his illis erit cognitus , sollicitetur vehementius , & famâ amissâ , consentiat facilius ; aut de statu matrimoniali consequendo desperans , vivat impudentius .

Ex his ulterius perspicuum est , quomodo etiam proximi salus requirere possit , ut crimen cujusdam personæ non reveletur . Quante præterea possunt rixæ ex revelatione alicujus criminis , inter conjuges nasci ; quæ dissidia inter familias oriuntur ; qualia odia in illis

C

accidenti

accendi qui à revelato crimen, in se vel in personis sibi conjunctis, injuriā passi sunt. Non difficulter ex his omnibus colligitur, quod bonum integræ alicujus communictatis etiam possit exigere ut crimen aliquod occultum, superioris præcipue, non reveletur, illis saltem ejus subditis, qui inde scandala multa &c, uti aliquando fit, utilitatem nullam sint accepturi.

Hæc de malefactis non occultis ratione malitia, sed occultis ratione ipsius facti præmisimus, ne quis harum Thesum occasione, in quibus multa dicuntur de occultorum criminum revelatione, errorem arripiat, quo sibi licet existimet occulta quorumlibet crimina publicare. Nunc agendum de criminibus in quibus factum est publicum, sed malitia occulta; illis puta occulta, quibus sive eminentia, sive fama, sive etiam professio personarum, palam crima quædam committentium, persuaserunt, aut nihil, aut parum malitia factis illis inesse; cum tamen ut ponimus, legi divinæ graviter aduersentur.

Multæ sunt rationes, ob quas occultam in publicis ejusmodi factis, malitiæ regulariter oporteat manifestare. Si quidem ignorantia latentis malitia in illis, multos (si illa committentes sint velut in Theatro, sive supra candelabrum positi) solet seducere: ac in primis, ut iniqua facta non improbent, sed ut probent potius & ament: Deinde ut laudent, ac alios in eandem secum approbationem trahant: jam vero digni sunt morte, non solum qui talia faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. Denique illa probantes & amantes, facile procedunt ad criminum imitationem, re ipsâ nimis eadem committendo, quæ à personis eminentibus, præcipue si sint sui superiores, vident passim committi: nec mirum, cum, aliis illa probantibus, multis ea laudantibus, nemine ista virtus perante, à personis magnis, exerceri cernant.

Ad ipsos etiam criminum Authorēs derivatur ista perniciēs, etenim quid magis excœcat & obdurat peccantem, quid si peccator laudetur in desideriis anima sua & iniquus benedicatur. Præterea nonne justitiae sive veritati æternæ ac incommutabili, id est Deo ipsi, singulatius injurium est, si in ejusmodi malefactis approbetur injustitia, adeoque justitia illi opposita condemnetur?

Manifestè hinc consecutarum est, quod malitia quæ in factis publicis personarum eminentium ac illustrium latet, detegenda sit in bonum eorum qui ex ignorantia malitia, crima illa essent approbaturi. Clarum quoque est, quod istam malitia manifestationem exigat justitia ac veritas, alias à non paucis opere, à multis ore, à pluribus corde improbanda ac condemnanda.

Patet insuper, quod ipsissimum criminosis magnum Charitatis officium præstetur, si ista malitia ita ostendatur, ut passim ab omnibus aliis improbetur, non solum quia hac ratione diminuetur aut tolletur scandalum quod factis illorum inerat; verum etiam quod hoc pacto magis sperare liceat ipsorum emendationem: ut enim aliorum approbatio & applausus, malefacentes in suis nequitii tenet ac foyet, ita quoque improbatio & communis aliorum reprehensio malefacentibus specialiter utilis est; ut eos corrigat, aut minus malos reddat.

§. 8.

Ex his omnibus à fortiori, ut aiunt, tandem conficitur quod impugnando non mores, sed dogmata P. HERINX, contra justitiam non peccaverim.

Impugnando dogmata GUILIELMI HERINX, quæ ipse de surreptione occulta, & usū opinionis probabilis tradit, enarravi illa eisdem terminis quibus ipse illa conscripsit; præterea detexi per legitimas (ut in his Thesibus iterum ostendo) consequencias, conclusiones quæ in dicti Patris dogmatibus latebant. His non obstantibus Author Apologiae pro P. HERINX, dicere audet quod in his peccaverim contra justitiam. Non quod crimen

crimen ullum revelaverim, sed quia doctrinam, eamque non occultam, sed tot centenis exemplaribus ab annis plusquam viginti ab ipomet Authorē evulgatam, in Thesibus publicis oppugnavi. Ridiculum sane est quod Authorē Justificationis videtur innuere me contra justitiam peccasse, non solum Patri HERINX dogmata aliqua, ut vult, falso imponendo; verum etiam palam tui mundo ostendendo, quod illa non subsistant, quodque plurimas conclusiones in moribus non tenendas, complectantur. Jam enim patet quod etiam ipsa crima, ratione facti occulta, quandoque debeant ob bonum, spirituale potissimum, ipsius criminosi, proximi ejus, aut communitatis alicujus revelari; & quod proprius ad rem nostram accedit, mox ostensum est, quod crima quæ ratione facti sunt publica, sed malitia multis occulta, ob rationes s. anteriori expressas, debeant ostendi vere esse crima, sive quod eorum malitiam manifestare oporteat: multò igitur magis ostendum est, quod dogmata moralia centenis aliquot librorum exemplaribus publicata, non subsistant, quodque in iis contineantur tot conclusiones morales legi æternæ revera adversantes: siquidem Fidelibus ut conclusione sequenti probabitur, magis innocent ceteris paribus mala dogmata moralia, quam quorundam malefacta. Adhac minus infame habetur, saltem hodie, mala docuisse quam mala fecisse.

Certè, si publica doctrina, publicè sine lectione justitiæ oppugnari non possit, non video quomodo liceat Scotistis prælo publicare, quæ ipsi adversus Thomistas, vel Molinistas tenent: an fortè Scotistis liceat aliquid contra integras Scholas, quod mihi illicitum est contra unum aliquem Scotistam? nec satisfacit responsio, si illarum Scholarum dissensionem dicas speculativa, potius quam practica respicere: nam, ut omittam quod dissenso inter illas Scholas eriam practica, imo ipsa totius praxis principia, ut est v.g. materia Prædestinationis & Gratiae involvat, ut inquam hæc omittam, nonne Theologo Christiano magis dignum est, si unicum illum Theologorum Magistrum Christum imitetur: hic vero non ea quæ in nuda speculatione hærent in Judæis culpavit; sed quæ mores concernebant: neque enim dubitari posse videtur, quin Scribæ & Pharisæi, cum tot errores tradiderint circa mores, etiam in speculativis Theologiam concernentibus erraverint; & tamen non magis circa hæc, quam circa Philosophica aut Historica, in quibus similiter errasse non est dubium, eos censuit redarguendos: nec mirum, venerat quippe Magister optimus ad dandam scientiam salutis plebi sive, scilicet ut vitam habeat & abundantius habeat; ad quam parum utile erat alia tradere, quam quæ charitatem planabant & per hanc mores instruebant, sicuti ad eandem vitam non multum serviebat alia culpare præter ea quæ cupiditatem eradicabant & per illam mores destruebant. Si proinde alicui liceat Scholam totam oppugnare circa speculativa, magis dignum est Theologo Christiano eam oppugnare circa Moralia; & magis licitum in Moralibus oppugnare unum aliquem, quam in speculativis Scholam totam. FAMÆ VIRI PER ORBEM NOTI, inquit Justificationis Author, NON ERAT DEROGANDUM: at istud nego & pernego; quo jure, jam tum patet, & patebit amplius ex Conclusione tertia, in qua ostendam, me non solum non contra justitiam, sed nec contra Charitatem, imo maxime secundum charitatem impugnasse dogmata quædam Moralia P. HERINX, quæ quidem continent, meo judicio, Conclusiones pœnè inumeras legi æternæ revera adversantes: ex quo jam nunc optimo, ut mihi saltem videtur, jure conficio, quod tantum abist, ut per meam impugnationem peccaverim contra justitiam, etsi famæ viri per orbem noti derogaverim, ut potius contra justitiam peccasset, si istorum dogmatum conjectariarumque inde conclusionum, cum lege æterna repugnantiam, non ostendisse: nunquid enim Theologæ Doctor contra suum officium adeoque quodammodo contra justitiam agit publicarum doctrinarum documenta celando, potius quam ea detegendo? nonne saltem hoc debet veritati? nunquid etiam hoc debemus fideli populo, qui certè plus juris habet ut talia falsitatis

nocumenta veritatem revelando, à se arceantur, quām Scriptor aliusquis, ne fama sua falsitate nixa (nam illa per verām accusationēm non tollitur) veritatem celando, quoquo modo minuatur?

Huic nostrae assertioni verisimilē, consentientem habemus ipsum Patrem HERINX. Libenter, inquit ille in conclusione sui operis, agnoscō me in multis errare potuisse: quamobrem desidero in omnibus, non modo benignum lectorē, verū etiam SEVERUM ET LIBERUM CORRECTORĒ, IMO ET REPREHENSOREM: Nullus enim, inquit Aug. lib. 2. de Trinit. in p̄fat: reprehensor formidandus est amatori veritatis.

CONCLUSIO TERTIA.

Ostenditur quod dogmata quādam Patris HERINX impugnando, etiam aduersus Charitatem non deliquerim; immò quod secundūm Charitatem istud fecerim: quodque magis sit verosimile, ejusmodi dogmatum impugnationes contra Charitatem omitti, quām contra Charitatem fieri.

§. 1.

Non contra, sed secundūm Charitatem feci, reipsā ostendendo, per impugnationem dogmatum P. HERINX, me minus diligere quod minus diligendum est, & magis diligere quod magis est diligendum.

Primo ostendendum quod non contra, sed secundūm Charitatem, designata & impugnata à nobis fuerint s̄epius dicta dogmata P. HERINX: abstrahendo tantisper ab alia questione mox subjungenda, quā querendum erit, an secundūm Charitatem factum sit, quod Patris HERINX, potius quām quorundam Lovaniensium, ut vult Justificationis Author, doctrina à nobis impugnata fuerit.

S. Augustinus, lib. 1. de doctr. Christ. cap. 27. sic ait: " Ille sancte & juste vivit, qui rerum integer aestimator est; ipse est autem qui ordinatam dilectionem habet; ne, aut diligit quod non est diligendum; aut non diligit quod diligendum est; aut amplius diligit quod minus diligendum est; aut æque diligit quod amplius vel minus diligendum est; aut minus vel amplius diligit quod æqua diligendum est." Ex quibus habemus, non contra, sed secundūm Charitatem nos egisse, si non amplius dilexerimus quod minus diligendum est: sed fama P. HERINX, quām dogmata illius refutando abstulisse dicor, non amplius, sed incomparabiliter minus diligenda est, quām bonum spirituale tam multorum hominum qui poterant occasione doctrinæ à nobis impugnatæ, incidere in tot, tantiq̄ momenti actionum genera legi æternæ adversantium. Iterum dico: fama Patris HERINX, quām Thesibus meis abstulisse dicor, sine ulla comparatione minoris est aestimanda, quām bonum spirituale tam multorum hominum. Quod ut magis pateat, §. subsequenti examinabimus quantum sit illud bonaum quod Thesibus meis, Patri HERINX dicunt esse ablatum: Deinde §. post illum subjungendo, ponderabimus bonum spirituale, cuius hic facta est mentio; ut hinc fama Patris HERINX, illinc tot hominum animæ bono, inter se comparatis, cuilibet manifestum sit, nos juxta doctrinam Aug. lib. 2. de lib. arbit. c. 10. Deteriora melioribus subdidisse, adeoque non contra, sed secundūm Charitatem egisse.

§. 2. Exponē

§. 2.

*Expenditur quantus facienda sit illa fama, quam me abstulisse dicunt
Patri HERINX.*

Prima harum Thesis Conclusio ostensum est, quod in Thesibus meis aduersus doctrinam Patris HERINX editis, nihil omnino contra veritatem dixerim; ex quo consectorium est, quod Patri HERINX non abstulerim famam veritati innixam; sed illam solum quam obtinebat apud aliquos, qui in dogmatibus a me impugnatis, existimabant eum vera docuisse, ubi nunc multi eorum videbunt, quod saltem in illis dogmatibus, vera non docuerit. Ex quibus consectorium est, quod si quid famae Patri illi abstulerim, id intelligentum sit de fama insani & falsa; atque ita, examinandum nobis superest, quanti valeat ista fama in falsitate fundata; & praecepit quae fert vera docuisse illum, qui tamen vera non docuit.

Quod generatim attinet ad famam nostram, quae ex falsitate ortum dicit, tanti nobis debet valere illa, quanti ambitionis & inanis gloriae objectum. Quisquis enim sibi querit falsam famam, hoc ipso ambitiosus est, & vanæ gloriae cupidus: siquidem honorem & estimationem querere propter illa quae quicquam revera non habet, ambitionem & vanam gloriam arguit: patet ex notione ambitionis & vanæ gloriae cuilibet indita; item ex iis quae Conclusione 2. §. 1. ex S. Thoma allegavimus.

Singulariter ambitionem & vanitatem arguit, si honor & fama querantur, de doctrina aliqua, quasi foret vera & utilis, ubi econtra falsa est, & nociva: queruntur enim tunc illa, de doctrina ut vera & utili, cum talis non solum non sit in illo, qui ista querit; sed ex supposito, pro doctrina vera, habeat falsam; pro utili, nocivam: & quod praecepit consideratione dignum est; ille ipse honor, illa fama, pro doctrina vera & utili in qua fundari putantur, depraedant doctrinam falsam & nocivam, atque ira exercent officium directissime contrarium officio honoris & famæ. Nam honoris nostri & famæ verum officium est, ut per illa possimus aliis prodesse: clarum id est ex dictis conclusione secunda. patet quoque ex iis, quae habet S. Thomas 22. q. 131. ar. 1. in c. de ambitione. In tantum, inquit, debet homini placere testimonium sua excellentia quod ab aliis exhibetur, in quantum per hoc paratur sibi via ad hoc quod aliis prodesse: talis vero honor ac fama, directissime eo tendunt, non ut proximis possimus prodesse; sed ut nocere, praecepit dum agitur de doctrina morali eaque tali ut ad multa actionum hominumque genera se extendat: ex quo & hoc consectorium est, quod fama illa non solum noceat doctrinæ illius sequacibus, sed saepè etiam ipsi eam tradenti; maximè si hic eo sit animo, ut ob vanam illam famam, velit doctrinæ suæ falsitatem manere occultam.

Tria proinde mala ad te trahis, si ut honorem sive famam tibi captes ex ejusmodi doctrinis moralibus, velis eas, et si falsas, haberi ut veras. Primum quidem, quod vanitatem captes. Secundum, quod alios ad malos mores inducas. Tertium, quod teipse alienæ improbitatis reum constituas. Si proinde minus quam nihil valeat objectum ambitionis & vanæ gloriae; multò minus quam nihil valet haec fama de ejusmodi doctrina morali: siquidem præter inordinationem primam, quam communem habet cum objecto ambitionis & vanæ gloriae; insuper secum trahit duo alia mala non exigui sane momenti.

§. 3.

*Expenditur quantum bonum spirituale sperare liceat ex ablatione ejusmodi famæ
de doctrina morali, falsitate nixa.*

T Hesibus anterioribus 7. Decembris 1684. defensis, & latius harum conclusione primâ §. 1. ostensum est, quod Pater HERINX docuerit: non improbabiliter afferi, in valde

valde gravi necessitate etiam aliena posse surcipi, quando dives obligatur eleemosynam praestare & non vult. Etiam diximus non multum interesse, an dixerit non improbabiliter, an vero, probabiliter imo an dixerit eam sententiam esse communem, prout Thomas Tamburinus, cum Pater HERINX sit de numero illorum, quibus sua circa res agendas opinio, si probabilis sit, tuta semper est ac secura. Quantum malum ex illa doctrina merito timeatur, ostensum est §. 2. ejusdem conclusionis.

Similiter dictis Thesibus 1684. defensis, & latius rursus in hodiernis conclusione prima §. 3. 4. 5. & 6. exhibuimus doctrinam Patris HERINX de usu opinionis probabilis, cum tribus hisce conclusionibus inde consecutari: prima, perinde esse huic scriptori ad securitatem praxis, an opinio sit simpliciter probabilis, an communis, an probabilissima. Secunda, quod quelibet opinio inter condemnatas ab Alexandro VII. & Innocentio XI. suo respectivè authori fuerit tuta & in praxi secura. Tertia, quod huic authori ad securitatem sufficiat opinio, etiam minus probabilis & propriae contraria.

Quanta mala inferat praxis istius doctrinae de usu opinionis probabilis, item praxis illorum dogmatum, que veluti conclusiones inde deducta sunt, nemo non videt, cum cuilibet sua opinio futura sit secura morum regula, nec tantum sua, sed etiam aliena, et si propriæ contraria.

Porrò quantum est hoc malum, tantum cum proportione est bonum spirituale quod, et si propter varia obstacula non plenè per Theses nostras fuerimus consecuti, quantum tamen est ex parte impugnationis nostræ, conati sumus obtainere. Nunc ergo tantum bonum comparetur cum falsa fama (nam talis est, quam scriptor habet, secundum illam famæ partem, quæ innitur doctrinis ut veris, cum sint falsæ) id est cum ambitionis & vanitatis objecto, eoque tali, quod nemo, sine tot proximorum, adeoque nec suæ salutis detrimento, sibi desiderare valet. Non ergo contraria, sed secundum charitatem egi, bona tam magna à quibus pendet animarum æternitas, vanæ famæ, sive bono tantillo, seu verius malo tanto postponens: injurius certè forem Patri HERINX ejusque postea adepto Episcopali characteri, si de ipso sentirem tam malè, quod nimis famam vanam, rot hominum spirituali bono præferri voluerit: aliud namque de viro sentire cogunt ante citata verba ex conclusione operis sui: *Desidero in omnibus non modo benignum Lectionem, verum etiam severum & liberum correctorem, immo & reprehensorem.* Ex quibus & hoc consilio, quod ego potius desiderio viri illius Religiosi ac Ecclesiae Catholice antistitis, satis fecerim dum doctrinam prædictam liberè oppugnau, quam ipse justificationis Author, qui eo titulo, me contraria Charitatem peccasse prætendit.

§. 4.

Examitatur an Charitati quam proximo debemus, non aduersetur nolle ei manifestare falsitatem doctrinae moralis, quam cum salutis sua periculo multi veluti veram in praxi amplexuri sunt.

PRiusquam ad quæstionem hanc respondeam, præmittendum censeo me hoc & tribus sequentibus §§. non agere specialiter adversus doctrinam P. HERINX, sed præscindendo ab hoc illove Authore, quæstionem intelligere generatim & abstractim de doctrina morali falsa, sive per Scriptorem aliquem sæcularem, sive per Religiosum, sive per Doctorem aliquem Lovaniensem, sive per alium quemcumque, fuerit evulgata. His prænotatis, dico ex iis, quæ conclusionis secundæ §. 2. & 3. dicta sunt, satis patere quod contra Charitatem saepemittatur revelatio criminis occulti, quia ipsiusmet infamandi, vel proximi ejus, aut Communitatis cuiusdam bonum spirituale, crimen istud detegi postular. Consectarium hinc

Hinc est , multo magis contra Charitatem posse peccari non detegendo falsitatem quorum
dam dogmatum Theologiae Moralis : hoc enim sèpè longè magis exigit bonum spirituale
hominum multo plurium : nam facta mala solent à suis Authoribus occultari : doctrinæ
verò malæ prælo , in tot librorum centenis exemplaribus imo sèpè millenis per Provincias
& Regna divulgantur , & præcipue perveniunt ad illos , quorum officium est in iis quæ
ipsi ex libris dederunt , alios instruere : atque ira ejusmodi doctrinæ , non raro in uno
Pastore integrum Parochiam , in uno Episcopo totam Dicecsem & quandoque in uno
Rege Regnum totum inficiunt , seducunt , ac malis moribus implent. In doctrinis malis ,
mirâ animositate falsitatem defendi videmus , sed in malis moribus usitatum est istud si
non casè , saltem cautè ; quo sit ut in his pudor crimen celet & imitationem impedit : in illis
verò audacia doctrinas protrudat & ad earum praxim inviteret , quin & nonnumquam cogat.
Adhæc mala facta ordinariè morte male viventium extinguntur , aut certè admodum flac-
cescunt , sed mala doctrinæ post extinctos illarum Authores supervivunt in illorum libris :
neque tum earum infectio diminui sed augeri potius solet , quia Magistro mortuo vivunt
adhuc illius discipuli & amici , qui nonnumquam majori fervore majorique audacia & or-
dinariè numero longè majori , mortui Authoris doctrinam propagare pergunt : ut credi-
bile sit quod S. Bernardus huic suo dicto , *Amara (Ecclesia) in nece Martyrum , amarior in con-
silio Hereticorum , amarissima nunc in moribus Domesticorum* , si modò viveret , mutationem vel
additionem censeret necessariam , quâ exprimeret quartam hanc Ecclesiæ persecutionem tri-
bus à se designatis deteriorem. Ex his omnibus nimis manifestum evadit sèpè peccari contra
Charitatem non impugnando doctrinæ Moralis falsitatem , maximè si istud omittatur ne
Author , qui impugnandus est detectâ doctrinæ sua falsitate , deinceps audiat in-
doctus vel minus doctus ; hoc siquidem est æternam tot hominum felicitatem vanas unius
Authoris famæ , ipsi nihil profuturæ & tam multis aliis hominibus nociruræ , postponere.
Hoc est , ut verbis Augustini utar , amplius diligere quod minus diligendum est , hoc est ,
diligere quod non est diligendum : hoc denique est quodam modo loquendi , non diligere
quod est diligendum : quomodo enim æternam tot hominum salutem diligit qui propter
res incomparabiliter inferiores , qualis in primis est vanissima illa fama , eam neglit ?
Manet ergò certissimum , quod multi contra Charitatem peccent non impugnando do-
gmata moralia , quæ ipsi norunt falsa esse & noxia.

§. 5.

Falsitas doctrina potest 3. modis manifestari , primo per nudam propositionem veritatis
oppositæ , secundo , per exhibitionem & convictionem ipsius falsitatis , tertio ,
etiam designando libros , qui falsam doctrinam tenent.

Cum veritas unius contradictiorum inferat falsitatem alterius , consectorium est , ut si
clarè ostendatur veritas cuiusdam doctrinæ , unà etiam comprobari falsitatem doctrinæ
oppositæ . Verum hic modus falsitatem redargundi ; non semper est sufficiens ; primo
quidem , quia non ita afficit & ferit legentes vel audientes sicuti directa falsitatis convictio ;
deinde quia multi non vident oppositionem quæ inter doctrinas , quas nti veras tenent ,
& eas quæ falso sunt , revera intercedit : præterea plures , ubi doctrinæ falso plausibi-
liter sibi proponuntur , eas amplectuntur quia non sunt muniti adversus argumenta ,
fallacias , & imposturas quibus falsitas tegitur. Denique non satis horrida multis appetet
falsitas dum eis proponitur nuda veritas.

Hinc sèpissimè adhibendus est alias modus , sive ipsa falsa dogmata ad eorum convictio-
nem

nein proponantur; quo eorum oppositio cum veritate manifestè ostendatur; quo, ut quan-
doque tantum opus, argumentorum, fallaciarum, & imposturarum fraudes detegantur;
quo horrida consecaria in falsis dogmatibus latentia in lucem proferantur; & quod præ-
cipuum, quo falsitas, detractis suis laruis, ut est, nuda exhibeat.

Sed neque hoc modo Theologie studiosi, potissimum incipientes, aut qui parvo sunt
ingenio, satis muniuntur adversus mala dogmata, eo quod tantus hodie sit illorum nu-
merus, ut impossibile foret ea singulatim recensere ac refutare.

Hinc sèpè opus est tertio modo, designando scilicet errorum Authores, sive libros
quibus errores continentur, præcipue si hi admodum crassi sint, quo nimur fari, ut com-
pendiosè inoneantur Theologie studiosi, quos libros alii caveri, alii cautè legere debeant.
Etenim vel ante dicti errores sunt circa ipsa Theologie principia vel circa conclusiones
tantum, aut, ut magis dialecticè loquar, circa consequentias; vel ut fieri solet, attingunt
principia & consequentias: quidquid illorum supponis, si errores sint in moralibus &
crassi, Author qui illos tradidit, si multa scriperit, merito tibi in multis est suspectus:
nam error in principiis secum solet trahere errores circa plurimas conclusiones inde
deductas, aut deinceps deducendas, & error qui solum respicit conclusiones, cum ut
supponitur, crassus sit & in moralibus, arguit tenuitatem ingeni turpiter hallucinantis
circa consequentias, jam vero quid magis fieri natum, quam ut homo parvi ingenii,
dum multa in Theologia morali concludit, multories erret: ex quibus facilissimum est vi-
dere, quanto jure tibi beat author aliquis esse de multitudine errorum suspectus, si
non solum erret in principiis, sed etiam hallucinetur circa consequentias.

En tibi similitudinem, opportunam quidem ut ista declareret; sed tamen, ut similitudi-
nes solent, claudicantem. Finge ubi in oppido quodam pharmacopolem aliquem, qui
pro cremore tartari arsenicum obtrudit: putasne emptores adversus venenum satis mu-
niendos, si cremoris tartari proprietates accuratè eis descripseris? Item si ultra hæc etiam
arsenici indicia designaveris? nunquid enim designandis etiam erit ille, qui pro cremore
tartari arsenicum vendere solet?

§. 6.

Examinatur, quinam præcipue teneantur noxiā Theologiām moralem oppugnare.

SCripturæ Sacrae sententiæ, quibus proximum sicut nosmetipso diligere, & quidquid
volimus, ut nobis faciant homines, etiam illis facere jubemur, clarissimè ostendunt,
quod cuilibet, non tantum sua; sed etiam proximi salus debeat esse cordi. Unde illud:
mandavit illis unicuique de proximo suo. Eccl. 17. et si etiam ad temporalia extendatur;
eterna tamen majori jure respicit, nimur, proportione servata, tanto magis, quanto
hæc illis sunt majora. Ex his & similibus sententiis, rectè conficitur, quod præceptum
de correptione paterna, quemlibet hominem, servatis, ut aiunt, servandis, obliget;
et si proximus non ignoranter; sed etiam scienter peccet, sive ex passione, sive ex malitia.
Et hæc quidem una est eleemosynarum spiritualium, quas proximo nos debere, etiam
vulgus novit, idque vi præcepti, quo eum jubemur diligere. Eodem obstringimur,
servatis rursus servandis, proximum dedocere ignorantiam, ex qua contingit eum delin-
quere (neque enim audiendi sunt, qui cum hereticis caelestio & Abailardo docent non
dari peccata ignorantia) & quidem hoc titulo magis, quam corripere ex passione vel maliti-
a delinquentes; quod qui peccant ex ignorantia, propinquiores sint emendationi, & in-
super magis digni compassionis. Eritque hoc Charitatis officium eo arctiori obligatione
cuilibet demandatura, quo maius est malum, à quo suâ instructione proximum liberare
potest:

potest : ex quo & hoc consectorium est , quod obligatio ista sit etiam tanto major , quanto pluribus per unam instructionem malum ejusmodi eximi potest . Colligat hinc lector , quanta sit quamque arcta obligatio nostra , non celandi veritatem , per quam , quantum est ex parte nostra , à peccatis ignorantiae liberare possumus tot homines , quot per doctrinas morales perniciosas centenis ac millenis exemplaribus evulgatas , seduci poterant toto illo tempore , quo durant ejusmodi libri ; aut quo mala doctrina inde accepta , etiam sublati libris , per traditionem ad posteros potest derivari .

Etsi omnes huic malo occurre teneantur , maximè tamen illi , qui illius fuerunt authores malas doctrinas tradendo , aut cooperatores præbendo auxilia , vel factores adjiciendo præconia , quibus nimis malæ doctrinæ vel fuerint evulgatae , vel fuerint receptæ .

Ex speciali officio tenentur ii , quibus peculiariter incumbit cura eorum qui ex istis doctrinis propinquins sunt inficiendi , maximè vero si insuper (prout in Pastoribus , Confessariis , Concionatoribus , Sacerdotibus malæ doctrinæ imbutis passim contingit) multis aliis suam infectionem sine communicaturi .

Rursus ex officio speciali noxiā Theologiam moralem , quantum possunt , exauthorare debent omnes Theologiae Professores ; & titulo gradu , quotquot in Academiis ab Apostolica Sede erectis , ad Theologiae Doctoratum sunt promoti . Hinc qui Doctoralem Lauream Parisiis accipiunt , jurejurando adiunguntur veritatem asserere usque ad effusionem sanguinis . Et quamvis nihil omnino in sua Promotione jurent Doctores Lovanienses ; illam nihilominus obligationem , utpote jure naturæ Magisterio anhexam , cum ipso gradu , velint nolint , recipiunt . Porro si veritatem asserere debeant ; oportet , ut quantum possunt , eam cuilibet persuadere conentur ; adeoque , ut opportunis quibuscumque mediis falsitatem , præcipue in moralibus , expugnant , & ab hominum animis pro viribus arceant : id est , ut veritatis recipienda impedimenta , quantum valent , tollant & destruant . Unde S. August. lib. 4. de doctrina Christi . cap. 4. Ita pronuntiat : debet divinarum scripturarum Tractator & Doctor , defensor recte fidei ac debellator erroris , & bona docere , & mala dedocere . Fecit hæc Christus , qui non tantum veritatem tradidit ; sed falsitatem convicit , & malorum insuper dogmatum authores designavit , confusione & cruce quæ hinc sibi obventuræ erant , contemptis .

§. 7.

Etsi dicta obligatio Theologiam noxiā impugnandi , secundum se sit palpabilis ; multis tamen videtur non esse satis nota .

Præcipua ratio , cur obligatio de qua titulus paragraphi loquitur , non satis nota sit ; videtur esse , quod qui hoc nostro seculo , Christiana libertate noxiā Theologiam moralem oppugnant , non facilè ob multitudinem & potentiam eidem patrocinantium assequantur quæ cupiditati favent ; sicut nec facilè declinant quæ cupiditati adversantur . Huc accedit , quod indefatigabilis lege spargat Deus poenales cæcitates , super illicitas cupiditates , ut prætextu pacis servandæ , vitandi scandali , conservandæ famæ Authorum &c. obligatio ista occultata maneat , etiam illis , qui ex commisso sibi officio , debent non solum bona docere , sed & mala dedocere .

Major proculdubio est illa cæcitas in iis , qui etsi cum SS. Augustino & Thoma ac veteribus Scholasticis doceant , ob ignorantiam juris naturæ , & multo minus ob probabilitatem non excusari dicta , facta , vel concupita legi æternæ verè adversantia ; nihilominus censent falsa in moralibus dogmata à se non esse , speciatim saltem , oppugnanda ; quia à scriptoribus qui hodie à multis suspiciuntur fuerunt tradita . Quid enim , dictis SS. Augustini & Thomæ ac veterum Scholasticorum sententiis præsuppositis , ad excusandum ea quæ

D

contraria

contrà legem æternam fiunt, valet, quod hic illeve Author ista teneat? Certè si istis Theologis ex conscientia regimine proprio vel alieno, satis nota foret immensa illa animarum strages, quæ ex mala Theologia Morali hoc nostro seculo procedit; non adeo difficulter viderent, quanto jure timere debeant illud Ezech. 33. Si speculator viderit gladium venientem, & non insinuerit buccinā; & populus sc̄ non custodierit, ueneritque gladius & tulerit ex eis animam... sanguinem ejus de manu speculatoris requiram.

§. 8.

Ostenditur quod contra Charitatem non peccaverim, Patris HERINX potius quam quorundam Lovaniensium doctrinam impugnando.

A uthor Justificationis Patris HERINX §. 2. indicat, quod contra Charitatem peccaverim, potius istius Patris, quam quorundam Lovaniensium dogmata oppugnando. Verū (ut taceam quod per hoc satisfecerim desiderio ipsius Patris HERINX, qui in conclusione operis testatur se desiderare in omnibus, non modò benignum Lectorem, verū & liberum correctorem, immo & reprobans; & quod prædicta dogmatum oppugnatio, ut ex dictis patet, sit charitatis beneficium, de quo proinde conqueri non oportet) plures illius rationes adferre possum.

Prima namque fuit, occasione famosi speciminis editi in defensionem sexaginta quinque Propositionum postea condemnatarum, in quas edidimus nostras observations Thesibus evulgatas: nam in dicto specimine, ut hæc Propositio: *Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi, imminentि condemnationi subducetur*, variis allegatis enim in finem, addebatur tandem: quod Theologi Belgæ solerent circumspectius loqui in hac materia. Exemplum circumspectionis primo loco allegant GUILIELMUM HERINX. Quare, oblatâ hâc occasione, examinandū videbatur quo jure famosum specimen, contra quod Theses nostras 7. Decembris 1684. defensas dirigebamus, dixerit quod Pater HERINX circumspectius fuerit locutus. Et hæc quidem occasio fuit ac ratio, licet non unica, cur dogmata quædam istius Patris discutienda suscepimus.

Nec refert, quod Authores famosi speciminis hunc virum cum quodam alio ei adjungent, vocent celebriores scriptores hujus temporis in Belgio: quia quo celebrior aliquis scriptor, eo (cæteris nimis paribus) magis nocent ejus dogmata moralia, si revera legi æternæ adversentur. *Fama viri per orbem noti derogandum non esse censet* Author Justificationis: quasi ideo quia vir per orbem notus est, celanda foret falsitas, si qua in doctrinis ejus latet: at ego è contra contendō, quod minus celanda sit falsitas doctrinæ mores concorrentis, quia est viri per orbem noti. Obscuri alicuius & ignoti authoris doctrina, et si falsa, parum nocet, quia parum noscitur, & qui noscunt parum illi credunt: ubi ex adverso doctrina viri celebri & per orbem noti, noscitur à multis, suspicitur à multis, & in proxim deducitur à multis.

Hinc argumento ad hominem, ut vocant, licet nobis in hunc modum arguere: si juxta authores famosi speciminis unus è duobus celebrioribus Belgii Scriptoribus sit GUILIELMUS HERINX (alterum dicunt Franciscum Bonam Spei) si item juxta Authorum Justificationis, Pater HERINX sit vir famâ per orbem notus; potius ipsius quam quorundam Lovaniensium dogmata legi æternæ adversantia oppugnanda fuerunt.

Nequidem examinandū censeo, an aliqua, an nulla ex dogmatibus per me in Patre HERINX oppugnat, à Baccalaureis vel aliis inferioribus, Doctore aliquo Academico Lovaniensi Præsidente, fuerint insertæ ipsorum Thesibus eo tempore, quo laxitatum Patroni

tronii librorum suorum multitudine de suis erroribus aliquid asperserunt ipsimet Academiae Lovaniensi. Nam Lovanienses, si de ipso corpore loquamur, ejusmodi dogmata & generatim quorumdam laxitates, subinde per libros, saepissime per Theses, ac potissimum per solemnem illam ad Urbem deputationem, adeo retractarunt; ut jam paucim de nimio rigore culpentur ab illis quorum sententiis sece opponunt. Atque hinc emergit nova ratio, cur dogmata patris HERINX oppugnanda videbantur potius quam quorumdam Lovaniensium: dico quorumdam, quia nec omnes Lovanienses ejusmodi dogmata Thesibus suis inseri permiserunt, minus alia ratione evulgarunt. Quod Joannes Wiggers & Malderus in suis libris aliqua habeant quae culpo in aliis, parum facit ad rem nostram: Sicut enim alias meā autoritate non ligo; ita nec ego jurare soleo in verba authorum, nedum Wiggers aut Malderi. Et quod Malderum concernit, non facile reperies Lovaniensem aliquem, qui pro illius Theologia Martyrum sustinere vellet. Neque tamen vel occasio, vel ratio postulabat ut specialiter oppugnarem Joannem Malderum, cum illum mihi non objecerint authores speciminis circa Propositionem 36. inter condemnatas, prout obiecunt GUILIELMUS HERINX. Neque Malderus ab ipsis inter duos celebriores Belgii Scriptores, quemadmodum GUILIELMUS HERINX nominatur: Nec in Scholis praelegitur iis qui ad animarum curam præparantur. Quod ad Joannem Wiggers attinet: Longe sepius illi quam Patri HERINX, apud nos & quidem nominatum contradicitur, propterea quod à variis Theologiae studiosis legatur: quapropter haud difficulter admitto illum habere non pauca, quae Lovaniensibus minimè probantur ex. g. de occidendis hominibus pro iis rebus quas contemni oportet: & quidem in defensionem bonorum fortunæ & honoris." Quinimo viris secularibus, qui ratione statu, vel nobilis familie, solent & aestimantur excellere in Armorum conrectatione, id licere; dum pugnis vel baculo invaduntur; neque eos obligari ad fugam: quin & post ictum datum licet occidi, si adhuc coram insultans & ignayiam exprobrans subsistat. tract. 2. cap. 2. dub. 12.

Notum est etiam, quod Wiggers attritionem ex solo metu gehennæ conceptam, censet cum Sacramento sufficere ad Justificationem. Et, ut multa paucis, Wiggers dissentit à nobis in tribus Capitalibus totius Theologiae Principiis: de Deo scilicet, ut bonorum omnium Principio effectivo ratione gratiæ per se efficacis (ille enim defendit congruam) de Deo, sive lege æternâ, ut regulâ morum (cum ipsi sufficiat probabilitas) de Deo, ut fine ultimo cuiuslibet nostræ actionis, per caftam dilectionem; & cuiuslibet agentis per amorem prædominantem, quo ei inhæreat moraliter semper: ubi ē diverso Wiggers nec censet omnes actiones nostras in Deum esse referendas (videri potest in 1. 2. q. 18. art. 9. præcipue num. 77.) nec amore prædominante Deo moraliter semper inhærendum: ut satis colligitur ex antedicta ejus sententia, de attritione ex solo metu gehennæ.

CONCLUSIO QUARTA.

Dicendum potius quod ex Charitate, quam quod ex odio dogmata
Patris HERINX oppugnaverim.

§. 1.

Nullum imprimis assignari potest Argumentum odii.

A uthor Justificationis §. 2. paulò post medium insinuat, quod dogmata Patris HERINX ex odio oppugnaverim. Sed quo fundamento? Enimvero cum solus Deus scrutetur corda & renes, non licet nobis de proximi nostri internis nisi per externa judicare. Necessum est itaque, ut Authori Justificationis, vel ex ipsa oppugnatione dogmatum

gmatum Patris HERINX, vel ex oppugnandi modo; sive acerbitate; collegerit internum meū, quod insinuat, odium contra Patrem HERINX.

Quod ad impugnationem attinet, ex Conclusione tertia patet, ejusmodi impugnations potius secundum charitatem fieri, quam secundum charitatem omitti. Illae proinde, potius quam earum omissione charitatem indicant; adeoque ab odio suspicione impugnantem potius eximunt. Jam vero & oppugnandi modus nihil acerbi præfert, ne quidem in uno verbulo; quod etiam ipse Justificationis Author fateri debet.

His adde, quod nemo odium cuiusquam personæ concipere soleat, absque ulla causa. Ego vero nullam omnino odii causam, quin potius mutua amicitia argumentum, à Patre HERINX mihi obvenisse recolo.

§. 2.

Assignantur quadam argumenta charitatis.

Non est hujus §. scopus, evincere per externa, quod dogmata Patris HERINX ex charitate oppugnaverim: posset enim, fateor uti in aliis externis, ita etiam in his latens quædam cupiditas sese immiscere. Quod an ita sit declarabit dies illa, quæ & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Hoc solummodo evincam, quod faltem externa, quæ hic observari possunt, aliud non probent, quam oppugnationem, de quâ quæstio, processisse ex charitate: ut ubi nullâ re probatur, ex odio eam profectam esse; omnibus consideratis maneat verosimile, me potius ex charitate, quam ex odio dogmata Patris HERINX oppugnasse.

Huic intento sufficerit, si duo verosimilia faltem argumenta charitatis istius allegaverim: cum vice versa odii allegetur nullum. Primum itaque sit argumentum: quod trahere, ut existimamus, veritatem multis profuturam, & ostendere falsitatem plurimis nostram, sit, quantum ex parte officii faltem actus charitatis, & quidem Dei simul & proximi.

Secundum argumentum esto: quod ejusmodi impugnations consideratæ cum circumspectantibus, quas inter hoc nostro seculo versamur, soleant impugnanti accersere plurimum inimicitiam quam amicitiam; impropterum Christi potius, quam Thesauros Ægyptiorum; frequentiores inimicorum insultus, quam amicorum plausus: atque adeo, ni charitatis finem spectes, incomparabiliter plura quæ terreat, quam quæ alliant.

PERTINENS.

Quedam dogmata Illustrissimi Patris Herinx recensui, & oppugnavi, videlicet circa surreptiones, & usum opinionis probabilis: quædam haec tenus intacta reliqui v. g. circa preceptum diligendi Deum & proximum, communionis annua &c. Virum horum potius charitatem arguit?

ALIUD.

Culpor quod in oppugnanda doctrina Patris Herinx, non attenderim ad editionem correctiorem: cum tamen (preterquam quod vix perceptibilis sit correctio) de eâ antè nec inaudiverim; nec inaudire facile potuerim: siquidem exemplaria omnia ad se receperunt PP. Minorite. Profectò, si culpabilis sit hac ignorantia; que tandem erit inculpabilis?

IMPERTINENS.

Grande est paradoxum: absolutum de probitate proximi judicium principere; & de affectu erga proximum parum vel nihil curare.

ALIUD.

Qui crimen falso cuiquam imposuit, sub obligatione admodum gravi, quomodo potest, efficaciter imposturam retrahere tenetur, interposito, si opus sit, juramento; etiam cum majori sua infirmitate ac damno, quam alter inde patiatur; immo quandoque cum vita sua periculo.

FINS.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



Theles
Doctorū
Academiae
Lovan.

Th
2170